

committere hic dico Watsonium. Dum de sola diversitate caloris quoad magis vel minus loquitur, & inde causam diversitatis sexus derivat, principium inquam petit, hoc enim insufficiens esse, satis dictum est; quia magis & minus non mutat speciem, nec facit tantam diversitatem. Nec possum hinc melius in viam reducere errantem Watsonium, quam si ipsum domum suam deducam. Repetat ergo, quæ ipse scripsit pag. *sua Synopsis*. 312. 313. Et secum ipse reputet, num quæ ibi de sexu fœmineo, quatenus is à virili differt, dicit, ea omnia à diverso gradu caloris tanquam causa adæquata, de qua hic, ut dictum, quæritur, provenire possint. Præsertim cum non difficile sit ostendere fœminam, quæ hoc viro calidior, & virum qui hæc fœmina frigidior sit. Estne hoc proximas causas rei, ut vult Aristoteles, & ipsa res exigit, indagare? Deinde, ut dictum, fallaciam secundum plures interrogationes committit; quid enim sibi vult quod addit de *reliquis requisitis, & commodioribus mediis ad hunc vel illum sexum?* in quo causarum genere sunt illa requisita? ego in materia puto, nimirum in semine, ut dictum est. Quicquid ille diversum dixerit, nihil dixerit.

§. 4. Sed pergit 7. *Iniuriosa sunt quodammodo in Naturam eiusve autorem Deum verba, quod efficiens, & forma non sufficiant ad inducendam sexus diversitatem.* Quæ sanctitas te incessit Watsoni? Quasi hinc agatur de potentia Dei absoluta, aut negetur naturam in elaboratione sexus, tum masculini tum fœminini occupatam esse, hoc enim nisi fieret, monstra essent. Sed de modo & conditione quæritur. Imò quæritur; num id, quod diversis est commune, proxima & adæquata causa esse possit alterutrius? Contradictionem quippe hoc implicat: Dicit scilicet, *Deum & naturam in generatione humana operando concurrere tanquam efficiens motum largiendo, ut forma essentiam conferendo, ut finis cuius gratia conferatur.* Num verò [omisso hoc loco examine incommodarum Watsonii locutionum, v. gr. quod Deus concurrat ut forma, &c.] hæc omnia quæ fieri hic dicit, in quavis materia qualitercunque disposita & disponibili naturaliter & ordinariè fieri queunt? minime gentium. Sed ut juxta Aristotelem *non quodvis fit ex quolibet*, ita nunquam à semine masculino fœmina, vel ex fœminino masculus per naturam fieri poterit, nisi peculiare quid præstent causæ reliquæ, quod nondum probatum est. Pergit 8. *Si vel maxime proximas tantum & mediatas istas causas efficientem, quæ juxta Trem loc. cit.*